



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, & qualiter Clerici, seu personæ Ecclesiasticæ prorogare possint jurisdictionem alieni judicis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

mittunt leges, ut prorogatio fiat ad iudices sub eodem Principe constitutos. Neq; tamen in omnibus casibus semper concessa est hæc in iudicem non suum prorogandi licentia, sic primò in causa feudali non potest vasallus invito feudi Domino in iudicem non suum prorogare jurisdictionem. Secundò non admittitur prorogatio, quando super crimine proceditur, non per viam accusationis, sed ex merito officio iudicis per inquisitionem. Tertio non potest fieri hæc prorogatio in iudicem non suum in causa appellationis. Quarto, non possunt Laici in causis Ecclesiasticis matrimonialibus v. g. utris, decimis, &c. prorogare jurisdictionem in iudicem non suum, sine consensu proprii Episcopi. Et quinto denique fieri non potest prorogatio jurisdictionis in Sacramento Pœnitentiæ, ut extra articulum mortis à peccatis mortalibus absolvi quis possit ab alieno Sacerdote sine licentia (saltem tacita) proprii Sacerdotis.

§. IV.

An, & qualiter Clerici, seu persona Ecclesiastica prorogare possint jurisdictionem alieni iudicis?

Clerici non possunt se subicere alieno iudici, nec Metropolitano quidem, sine consensu & licentia sui Ordinarii, seu proprii Episcopi Diœcesani, & cum hac quidem licentia alii se subicere non possunt, quàm Ecclesiastico, ut constat ex c. Significasti 18. h. t. hanc subordinationem exigente regimine Ecclesiastico; & quamvis juxta præxin receptam, Episcopus delegare non possit Laico causas pecuniarias, & Civiles Clericorum, ipsi

tamen Clerici non possunt jurisdictionem Laici iudicis in se prorogare, cum licentia Ordinarii, cum aliud sit delegare, aliud licentiam dare ad jurisdictionem prorogandam, delegans enim suam in has partes retinet jurisdictionem, & delegatus hujus delegantis auctoritate & nomine agit, non autem consentiens in prorogationem iudicis alieni, quæ suam in alium quasi transferri permittit jurisdictionem, & iudex prorogatus proprio nomine & auctoritate judicat, quod fieri in causis Laicorum à Laico non potest: possunt tamen exempti à jurisdictione Episcopi Regulares v. g. cum actus voluntariæ jurisdictionis absolute dispensationem, &c. etiam sine consensu Pontificis, cedere privilegio exemptionis, & Episcopo Diœcesano se subicere, cum in tali casu videatur sufficere benignè præsumptus consensus Pontificis ob favorem Ordinis, cui exemptio talis facta est; nisi facultas absolventis v. g. non esset penes Prælatum immediatum, sed propter reservationem v. g. alia Ordinibus statuta penes Superiorem ordinis immediatum.

§. V.

An, & ob quas causas, & quando iudex aliquis competens recusari possit?

Quidquid sit de jure Civili, quod inter Delegatum & ordinarium iudicem in ordine ad recusatorem effectum aliquod facit, de jure Canonico non minus Ordinarius, quàm Delegatus tanquam suspectus recusari potest, in Superioriorem aliquem habeat c. Si quis contra 4. c. Licet 10. h. t. ita tamen ut causa